

CAPITULUM 16

DE COMPARATIONE SPECIEI PROPRII ET ACCIDENTIS INVICEM

§1

Speciei quidem et proprii... 20,12-14 . Istud est quartum et ultimum capitulum huius tractatus, in quo Porphyrius speciem, proprium et accidens comparat penes convenientiam et differentiam, postquam comparavit differentiam ad haec omnia. Conveniens enim est quod post comparatione partium ad tota sequatur comparatio totorum invicem.

Dividitur ergo istud capitulum in tres partes, iuxta numerum trium conclusionum. In quarum prima comparat speciem ad proprium; in secunda comparat speciem ad accidens, ibi: ¹ speciei vero et accidentis; in tertia comparat invicem proprium et accidens, ibi: ² commune autem proprii.

Prima ergo conclusio est haec: species convenit cum proprio et ab eodem differt. Primam partem probat Porphyrius duabus convenientiis quibus invicem conveniunt species et proprium. Quarum prima consistit in convertibilitate, quoniam species et proprium invicem convertuntur. Unde si homo est risibile est, et si risibile est homo est; non enim risibile idem est quod ridere sed est idem quod aptum natum ridere. Aliquis enim est homo qui non ridet, nullus tamen est homo qui ^{non} sit risibilis, eo quod nullus est homo qui non sit aptus natus ridere. Cum enim proprium fluat a principiis speciei, necesse est ipsum proprium adaequari principiis speciei; constat autem quod ipsa principia adaequantur speciei, eo quod definitio, quae fit ex genere et differentia, adaequatur speciei; igitur species et proprium invicem convertuntur tamquam causa adaequata effectui et e contra.

Lege litteram: speciei quidem et proprii commune est de se invicem praedicari; nam si homo est, risibile est et si risibile est, homo est. Risibile vero quoniam et secundum id quod natum est dicitur, saepe iam dictum est.

§2

Aequaliter enim species... 20,14-15 . Secunda convenientia consistit in participatione, quoniam sicut species aequaliter participatur ab his quorum est species, ita proprium aequaliter participatur ab his quorum est proprium. Haec omnia ostensa sunt superius. Nam species est in suis individuis secundum totam suam essentiam et non magis in uno quam in alio, cum non suscipiat magis et minus ; sic etiam proprium est secundum totam suam essentiam in omni eo cuius est proprium et quantum est ex se non recipit intensionem et remissionem. Et licet species et proprium in hoc convenient, quod est aequaliter participari, non tamen aequae proprie; nam individua speciei proprie participant speciem, eo quod species est de essentia individuorum, sed neque species neque in dividuum speciei proprie participat proprium, quia proprium posterius est his, neque est de essentia illorum.

Lege litteram: aequaliter enim species sunt his quae eorum participant et propria quorum sunt propria.

§3

Differt autem species a proprio... 20,16-17 . Probata prima parte quo ad convenientiam, consequenter probat Porphyrius secundam partem quo ad differentiam, introducens quattuor differentias quibus invicem differunt species et proprium. prima differentia consistit in multiplicatione, quoniam illud quod est species respectu unius est genus respectu aliarum specierum, id autem quod est proprium unius, impossibile est quod sit proprium illarum specierum. Unde animal, quod est species subalterna, est species respectu huius animalis et est genus ad hominem et ad equum. De specie autem specielissima illud non est possibile. Proprium autem, sive fluat a principiis speciei specialissimae sive subalternae, eo facto quod alicuius speciei est proprium, alterius speciei non potest esse proprium. Risibile enim est proprium hominis et

non est proprium alterius speciei; sensitivum vero est speciei subalternae proprium, videlicet animalis, et non est proprium alterius speciei; licet enim competat homini et equo, qui sunt diversae species quodammodo ab animali, non tamen est proprium alicuius illarum, cum sit magis commune quam homo vel equus.

Lege litteram: differt autem species a proprio, quoniam species quidem potest et aliis genus esse, proprium vero et aliarum specierum esse impossibile est.

§4

Et species quidem... 20,18-20 . Secunda differentia consistit in ordine, quoniam species secundum naturam et intellectum prius subsistit in esse quam proprium, ipsum vero proprium posterius est specie; nam hominem esse prius est quam risibile esse, eo quod risibile fit ex homine sicut effectus ex causa et recipitur in eo. Quod enim prius sit species quam proprium secundum naturam, patet quia quando aliqua convertuntur et unum illorum est causa alterius, illud quod est causa est prius secundum naturam, per Aristotelem in Postpraedicamentis.³ Constat autem quod species et proprium convertuntur, et species est causa proprii, ut ostensum est; ergo species secundum naturam prior est proprio. Et non solum haec prioritas est secundum naturam, sed etiam secundum intellectum, quoniam non potest intelligi proprium quin intelligatur species, ex quo species ponitur in definitione proprii, bene autem potest intelligi species non cognito proprio, quia res sicut se habet ad esse, ita ad cognosci, per Philosophum II Metaphysicae.⁴ Unde potest cognosci homo non cognito risibili, sed non potest cognosci risibile quin cognoscatur homo.

Lege litteram: et species quidem ante subsistit quam proprium, proprium vero posterius fit in specie; oportet enim hominem esse ut risibile sit.

§5

Amplius species quidem... 20,20-22 . Tertia differentia consistit in actualitate, quoniam species semper actu est in subiecto de quo praedicatur, proprium autem quandoque actu et semper aptitudine in subiecto est de quo praedicatur. Sortes enim semper actu est homo, quandocumque homo de Sorte praedicatur; non tamen semper Sortes ridet, sed semper est aptus natus ridere, et ex hoc semper Sortes est risibilis. Provenit enim ridere ex principiis individui, una cum obiecto movente sensum vel intellectum; et quia obiectum non semper movet sensum vel intellectum, ideo non semper homo ridet. Risibilitas autem non requirit aliquod obiectum movens aliquam potentiam cognitivam, sed absolute simpliciter fluit a principiis speciei humanae; ideo quicquid semper est homo, illud semper est risibile.

Lege litteram: amplius species quidem actu semper adest subiecto, proprium vero aliquando actu, potestate autem semper. Socrates enim semper actu est homo, non vero semper ridet, quamvis sit semper natus risibilis.

§6

Amplius quorum termini... 20,23-21,3 . Quarta differentia consistit in definitione, quoniam illa differunt quorum definitiones sunt diversae; sed definitiones speciei et proprii sunt diversae; igitur species et proprium differunt. Tenet consequentia cum maiori, et minor est declarata tractatu primo, in quo ponitur definitiones speciei et proprii. Dictum est enim in capitulo de specie quod speciei tres sunt definitiones: prima est 'species est illud quod immediate ponitur sub assignato genere', secunda est 'species est illud de quo genus immediate in eo quod quid est praedicatur', tertia vero est haec 'species est illud quod praedicatur in quid de pluribus differentibus numero solum'; in capitulo autem de proprio definiebatur proprium sic: 'proprium est

illud quod convenit omni et soli et semper'. Ne igitur credatur quod species et proprium sint essentialiter idem, ex eo quia invicem convertuntur, ponit Porphyrius istam quartam differentiam ex parte definitionum, quae quidem dicuntur termini, quia terminant quaestionem 'quid est', declarantes totam essentiam rei a primo termino, qui est genus vel aliquid loco generis, usque ad ultimum terminum, qui est differentia vel aliquid loco illius.

Lege litteram: amplius quorum termini, id est definitiones, sunt differentes et ipsa sunt differentia. Est autem quidem speciei proprium esse semper sub genere, et de pluribus et de differentibus numero in eo quod quid est praedicari, et cetera huiusmodi pertinentia ad definitionem speciei superius determinata, proprii quidem vero soli et semper et omni adesse.

§7

De ridendo et risibilitate

Notandum quod ista differentia videtur contradicere tertiae. Dictum est enim in tertia differentia quod proprium in potentia semper adest suo subiecto, ut risibile, proprium autem in actu non semper adest suo subiecto, ut ridere; in hac autem quarta differentia dicitur quod proprium est illud quod inest omni et soli et semper; si igitur ridere est proprium hominis, igitur inest cuilibet homini et semper. Et prius concessum est quod aliquis homo non semper ridet; igitur contradictio.

Dicendum quod risibile est proprium per se et ridere est proprium per accidens, ex quo aliquis homo ridet et aliquis homo non ridet, et iterum ille qui ridet non semper ridet. In tertia ergo differentia manifestavit Porphyrius tam proprium per se quam proprium per accidens, dicens quod proprium per se importat aptitudinem et non actu, ut risibile, proprium vero per accidens importat actum, ut ridere, et tale proprium non competit cuilibet individuo speciei neque eidem individuo

competit semper. Propterea tale proprium pertinet ad proprium primo modo dictum.

Sed dubitatur circa hoc, quod dicitur quod risibile potentia seu potestate semper adest subiecto, quoniam aliquis est homo qui non potest ridere sicut morti propinquus, aut in tribulationibus positus, aut aliunde taliter complexionatus quod ad actum ridendi exire non potest.

Respondetur quod sicut ars scribendi vel pulsandi est quaedam potentia ex operibus acquisita, pertinens ad primam speciem qualitatis, ut colligitur a Philosopho, IX Metaphysicae⁵ et II Ethicorum,⁶ ita aptitudo ad ridendum est quaedam potentia naturaliter acquisita pertinens ad secundam speciem qualitatis, quae dicitur naturalis potentia vel impotentia, per Aristotelem in Praedicamentis.⁷ Sicut ergo aliquis habet potentiam scribendi vel pulsandi et non potest scribere vel pulsare, quia deficit sibi instrumentum, videlicet potentia motiva manus, aut propter carentiam manus aut propter nimiam debilitatem eius, ita aliquis habet potentiam ridendi qui tamen ridere non potest, quia deficit sibi instrumentum ridendi, quod est potentia motiva partium faciei. Sicut ergo ad scribendum et pulsandum requiritur duplex potentia, quarum una est ars existens in anima et alia est habitus existens in manu, ita ad ridendum et plorandum requiritur duplex potentia, quarum una est naturalis aptitudo subiective existens in specie et alia est habitus quidam existens subiective in individuo secundum partem faciei. Quando ergo conceditur quod aliquis homo non habet potentiam ridendi aut flendi, illud est intelligendum de potentia individuali; cum quo stat quod quilibet homo habet potentiam ridendi et flendi, loquendo de potentia specifica quae est naturalis aptitudo. Et hoc intendit Porphyrius.

§8

Speciei vero et accidentis... 21,5-7 . Secunda conclusio: species et accidens convenientiam invicem habent et differentiam. Primam partem probat Porphyrius. Una tantum est convenientia qua invicem conveniunt species et accidens; haec enim convenientia seu communitas est de pluribus praedicari, quoniam tam species quam accidens, in eo quod est universale, de pluribus praedicatur. Si enim aliquod accidens non de pluribus praedicatur, sicut haec albedo, illud non est universale neque distinguitur contra alia quattuor universalia, sed distinguitur contra substantiam tantum. Ergo una communitas habetur in usu qua invicem conveniunt species et accidens. Si autem aliae sunt communitates, illae sunt raras et paucae; et hoc propter distantiam plurimam quae in vicem distant accidens et illud cui accidit. Id enim cui accidit accidens est substantia, sive sit species sive individuum; constat autem quod substantia et accidens multum distant, quia non conveniunt in aliqua una natura sicut individua et species et genera eiusdem praedicamenti, sed conveniunt tantum in uno conceptu, qui est ens, ut colligitur a Philosopho, VII Metaphysicae.⁸

Lege litteram: speciei vero et accidentis commune quidem est de pluribus praedicari. Raras vero sunt aliae communitates, propterea quoniam plurimum distat a se accidens et cui accidit.

§9

Propria vero sunt utriusque... 21,9-10 . Habita prima parte conclusionis ex unica convenientia, consequenter propter multam distantiam qua distat accidens a specie, probat Porphyrius secundam partem conclusionis. Et hoc quattuor differentiis quibus invicem differunt species et accidens. Quarum prima consistit in modo praedicandi, quoniam species, sive sit specialissima sive subalterna, praedicatur in quid de his quorum est species, accidens vero, sive sit separabile sive insepa-

rabile, praedicatur in quale aut quomodo se habet, ut inductive patet. Si enim quaeritur quid est Sortes, respondetur per utramque speciem, videlicet quod est homo et quod est animal; constat autem quod homo est species specialissima et animal est species subalterna. Si autem quaeritur qualis est Sortes, respondetur quod albus vel niger; si vero quaeritur quomodo se habet Sortes, respondetur quod currit, sedet vel disputat. Ecce quomodo species, quaecumque sit illa, praedicatur in quid, accidens vero praedicatur in quale; non tamen praedicatur in quale universaliter, quia non praedicatur in quale essentialiter, nec in quale accidentale convertibiliter, sed solum praedicatur in quale quiddam, scilicet in quale accidentale non convertibiliter.

Lege litteram: propria vero sunt utriusque speciei quidem in eo quod quid est praedicari de his quorum est species, accidens vero in eo quod quale quiddam est aut quomodo se habet.

§10

Et unamquamque substantiam... 21,10-12 ? Secunda differentia consistit in modo subiciendi, quoniam quaelibet substantia individualis praedicamenti substantiae ita subicitur speciei quod tantum unam speciem participat, sic autem subicitur accidenti substantia individualis quod participat plura accidentia, tam separabilia quam inseparabilia. Sortes enim participat albedinem, et nigredinem et rubedinem aut simul secundum diversas partes aut successive secundum totum; albedo autem, nigredo et rubedo sunt accidentia separabilia Sorti. Ignis vero participat caliditatem, siccitatem et levitatem, quae sunt accidentia inseparabilia igni, sed aqua participat frigiditatem et humiditatem, quarum frigiditas separatur ab aqua, humiditas autem illi inseparabilis est. Haec eadem accidentia quae sunt inseparabilia uni sunt alteri separabilia, sicut dictum est de nigredine, quae est inseparabilis corvo, homini autem est separabilis.

Lege litteram: et unamquamque substantiam una quidem specie participare, pluribus autem accidentibus separabilibus et inseparabilibus.

§11

Et species quidem... 21,12-15 . Tertia differentia consistit in modo intelligendi, quia species potest intelligi sine accidente, non autem e contra. Unde res sicut se habet ad esse, ita se habet ad cognosci, ut probatur II Metaphysicae;⁹ sed species prius est quam accidentia eius, sive sint accidentia separabilia sive inseparabilia. Accidens enim, quodcumque sit illud, praesupponit subiectum et est posterioris generis a substantia et adventitiae naturae, quia non fluit a principiis substantialibus, sicut proprium. Ideo potest cognosci species sine accidente, e contra autem non potest cognosci accidens quin cognoscatur species. Nam substantia est prior accidente cognitione, definitione et tempore, per Aristotelem, VII Metaphysicae;¹⁰ constat autem quod illa substantia quae subicitur accidenti est individuum et species; individuum quidem principaliter et species ex consequenti. Non enim intelligitur album aut nigrum quod praedicatur de homine nisi intelligatur homo, etsi non distincte, tamen confuse.

Lege litteram: et species quidem ante subintelligi potest quam accidentia, sive sint separabilia vel si sint inseparabilia; oportet enim esse subiectum ut illi aliquid accidat. Accidentia vero posterioris generis et adventitiae naturae sunt a subiecto suo.

§12

Et speciei quidem participatio?... 21,15-19 . Quarta differentia consistit in modo participandi, quia species aequaliter participatur ab omnibus de quibus praedicatur, et non secundum magis et minus, ut saepe est ostensum, accidens autem non aequaliter participatur ab omnibus praedicatur, sive sit accidens separabile sive inseparabile, eo

quod participatur secundum magis et minus et praedicatur de subiecto suo secundum intensionem et remissionem. Dicimus enim quod unus Aethiops est magis niger quam alius et quod habet colorem magis intensum quam alius in nigredine. Idem etiam contingit de nigredine corvi, sed non ita apparet dissimilitudo nigredinis in corvo sicut in Aethiope.

Ex his ergo patet quae sunt communitates et proprietates speciei et accidentis, restat ergo solum de proprio et accidente aliquid dicere quo ad eorum convenientias et differentias; quomodo autem differat proprium a specie et a differentia et a genere dictum est prius -dum enim investigabatur differentia speciei, et differentiae, et generis a proprio, consequenter investigabatur differentia proprii a quolibet illorum.

Lege litteram: et speciei quidem participatio aequaliter est, accidentis vero, vel si inseparabile sit, non aequaliter; Aethiops enim alio Aethiope habebit colorem vel intensum amplius vel remissum secundum nigredinem. Restat igitur de proprio et accidente dicere; quo enim proprium a specie et differentia et genere differt, dictum est.

§13

Duo argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta erguitur. Et primo quod nullum individuum praedicamenti substantiae participat tantum unam speciem, quoniam de quolibet tali individuo praedicatur non tantum species specialissima, sed etiam subalterna, ut patuit; ergo quodlibet tale individuum participat plures species et non tantum unam.

Secundo arguitur quod potest intelligi accidens sine substantia, quia geometra abstrahit lineam a subiecto et arithmeticus abstrahit numerum a substantia, per Aristotelem, II Physicorum,¹¹ dicentem quod abstrahentium non est mendacium; constat autem quod linea et numerus

sunt accidentia; non ergo semper cognoscitur substantia quando cognoscitur accidens.

Ad primum dicitur quod dictio exclusiva addita termino importanti numerum potest dupliciter exponi, videlicet per notam alietatis et pluralitatis. Ut 'tantum unum est'; haec quidem vera dicitur si secunda exponens est ista 'nihil aliud ab uno est', si autem haec fuerit exponens 'non plura sunt' illa propositio erit falsa. Ita in proposito haec propositio est falsa 'Sortes participat tantum unam speciem' si secunda exponens est ista 'Sortes non participat plures species'; si autem exponitur sic 'Sortes participat unam speciem et non participat aliam ab illa', sic propositio est vera, loquendo de alietate reali. Sortes enim participat hominem, et animal et corpus, et quia haec sunt unum et idem realiter et non differunt nisi ratione, ideo Sortes participat tantum speciem humanam, quia nullam aliam participat non communicantem cum ista.

Ad secundum respondet Avicenna in sua Metaphysica,¹² dicens quod linea et numerus, albedo et nigredo et huiusmodi possunt dupliciter considerari: et in quantum sunt species, et in quantum passiones. Si considerantur in quantum sunt species, sic subiectum non ingreditur definitiones eorum; non tamen perfecte intelliguntur nisi intelligatur subiectum, quod est substantia. Propterea geometra non perfecte intelligit lineam neque arithmeticus numerum, sed solus metaphysicus, qui investigat causas omnium. Si autem dicta accidentia considerantur ut sunt passiones, sic subiectum ingreditur definitiones illorum. Quo modo mathematici non considerant ea.

Dicendum tamen quod Porphyrius non loquitur hic de accidente ut distinguitur contra substantiam, sed ut distinguitur contra alia quattuor praedicabilia, neque intendit loqui de accidente in abstracto, sed in concreto, ut habet rationem praedicabilis in quale. Constat autem omne tale accidens necessario significare subiectum, quod est substantia

tam specifica quam individualis.

§14

Commune autem proprii... 21,21-22,1 . Tertia conclusio: proprium et accidens invicem conveniunt et differunt. Primam partem probat Porphyrius duabus convenientiis quibus invicem conveniunt proprium et accidens, non quidem universaliter loquendo de omni accidente, sed de accidente inseparabili. Prima convenientia est in subsistendo, quia sicut absque proprio non subsistit species, ita absque accidente inseparabili non subsistit subiectum.

Verbi gratia, sicut non est possibile invenire hominem absque risibili, ita non est possibile invenire Aethiopem absque nigredine, intelligendo per Aethiopem hominem complexionatum ad nigredinem.

Lege litteram: commune autem proprii et inseparabilis accidentis est quod praeter ea numquam subsistunt ea in quibus considerantur; quemadmodum enim praeter risibile non subsistit homo, ita nec praeter nigredinem subsistit Aethiops.

§15

Et quemadmodum semper... 22,2-3 . Secunda convenientia consistit in praedicando, quoniam sicut proprium inest speciei semper et omni per praedicationem, ita et accidens inseparabile suo subiecto. Sicut enim semper omnis homo est risibilis, ita semper omnis corvus et omnis Aethiops est niger.

Conveniunt ergo proprium et accidens inseparabile in duabus conditionibus, quae sunt semper et omni, sed non in tertia conditione, quae est soli. Proprium enim competit uni soli speciei et convertitur cum illa, sed accidens inseparabile nulli soli subiecto competit neque de aliquo tali convertibiliter praedicatur, quoniam nigredo non competit soli corvo neque soli Aethiopi, et consequenter cum nullo istorum converti

tur. Et licet sint aliae communicatae quibus conveniunt invicem proprium et accidens, videlicet praedicari in quale et non essentialiter neque convertibiliter, quae competunt omni accidenti, videlicet tam separabili quam inseparabili, has tamen non expressit Porphyrius, quia ex ante habitis notae sunt. Alia autem protulit, quoniam non sic manifestae erant.

Lege litteram: et quemadmodum semper et omni adest proprium, sic etiam inseparabile accidens.

§16

Differunt autem quoniam proprium... 22,5-8 . Ostensa prima parte conclusionis consequenter demonstratur alia pars duabus differentiis. Quarum prima consistit in exclusione, quia proprium competit uni soli speciei, accidens autem, quodcumque sit illud, non competit alicui uni soli subiecto. Risibile enim competit soli homini, et hinnibile soli equo; nigrum vero non competit solum corvo aut Aethiopi, sed etiam aliis, videlicet carboni, ebano et aliis multis quibus inest nigrum semper et omni. Nigrum ergo, quia non concernit aliquod determinatum subiectum, quantumcumque sit accidens inseparabile, nulli soli convenit; proprium vero concernit determinatum subiectum, illud scilicet quod ponitur in sua definitione, ideo uni soli competit.

Lege litteram: differunt autem quoniam proprium uni soli speciei adest, quemadmodum risibile homini, inseparabile vero accidens, ut nigrum, non solum Aethiopi, sed etiam corvo adest, et carboni, et ebano et quibusdam aliis.

§17

Quare proprium praedicatur.... 22,8-10 . Secunda differentia consistit in convertibilitate, quia proprium convertitur cum sua specie et aequaliter participatur ab omnibus contentis sub illa, accidens

autem inseparabile deficit in omnibus his condicionibus, sicut superius declaratum est. Risibile enim convertitur cum homine et aequaliter participatur ab omni homine, quia non secundum magis et minus; nigrum vero non convertitur cum corvo neque cum Aethiope, neque participatur aequaliter ab omnibus corvis neque ab omnibus Aethiopicis, quia nigredo, cum intendatur et remittatur, necesse est quod in aliquo inveniatur magis et in aliquo minus. Unus enim corvus est magis niger quam alius, et unus Aethiops est minus niger quam alius, secundum quod magis aut minus fuit adustum humidum in materia generationis.

Lege litteram: quare proprium praedicatur de eo cuius est proprium conversim et aequaliter, inseparabile vero accidens non conversim praedicatur; proprii quidem aequalis est participatio, accidentium vero haec quidem magis, illa vero minus.

§18

Sunt etiam quidem aliae... 22,11-13 . Et si aliquis quaereret utrum in hoc secundo tractatu expressae sint omnes communitates quibus conveniunt praedicabilia et omnes proprietates quibus differunt, respondet Porphyrius quod non, quia praeter nominatas communitates et proprietates sunt aliae multae, sed haec sufficiunt ad manifestandum convenientiam et differentiam omnium praedicabilium.

Lege litteram: sunt etiam quidem aliae communitates vel proprietates eorum quae dicta sunt sed haec sufficiunt ad discretionem eorum communitatisque traditionem.

§19

De coincidentia quinque praedicabilium

Notandum quod quinque praedicabilia, licet non possint invicem coincidere quo ad intentiones secundas, quia haec intentio, genus, non est illa intentio, species, neque aliqua trium sequentium intentionum, tamen

invicem coincidunt quo ad intentiones primas, quoniam unum et idem praedicabile est genus, species et proprium. Mobile quidem est genus praedicamenti relationis ad alterabile et augmentabile, est autem species ad suum generalissimum; proprium vero dicitur corporis, eo quod omne corpus est mobile et omne mobile est corpus, ut probatur VI Physicorum.¹³

Item, unum et idem est genus, species et accidens, eo quod color est genus ad albedinem et nigredinem, et est species ad qualitatem; est autem accidens respectu sui subiecti.

Sed proprie loquendo differentia non coincidit cum aliquo aliorum praedicabilium. Non enim coincidit cum genere, quia genus ut genus habet rationem materiae et componitur ex suis speciebus, differentia autem habet rationem formae et non componitur ex suis speciebus, quia non habet sub se species. Non etiam coincidit cum specie, quia omnis species componitur ex genere et differentia, constat autem quod differentia non sic componitur. Non etiam coincidit cum proprio, quia proprium fluit a principiis speciei et immediate fundatur in specie, differentia vero educitur de potentia generis et in eo immediate subiectatur. Iterum, non coincidit cum accidente, quia accidens fluit a principiis individui et fundatur immediate in ipso individuo; differentiae autem non competit aliquod istorum.

Et licet proprie loquendo differentia non coincidat cum aliquo aliorum praedicabilium, tamen habet modum aliquem cuiuslibet illorum. Primo quidem habet modum generis et speciei, in quantum habet aliquid communius et aliquid minus commune; animatum enim est quaedam differentia habens supra se corporeum ad modum generis, eo quod omne animatum est corporeum et non e contra, habet autem infra se sensitivum ad similitudinem speciei, eo quod omne sensitivum est animatum, non autem omne animatum est sensitivum. Habet etiam modum proprii, in quantum definitur per subiectum suum sicut proprium; rationale enim definitur per 'animal aptum natum uti ratione'. Consequenter habet modum acciden-

tis inseparabilis, eo quod sicut accidens inseparabile non est de essentia sui subiecti, ipsum tamen numquam derelinquit, ita differentia non est de essentia generis, ipsum tamen genus numquam dimittit.

§20

Duo argumenta contra dicta, cum suis responsionibus

Contra ea quae dicta sunt de differentia erguitur. Et primo quod differentia et proprium coincidunt, quoniam aliqua differentia est proprium, videlicet sensitivum, bipes et quadrupes, ut ex dictis a Porphyrio est manifestum. Deinde sicut risibile est homo aptus natus ridere, ita rationale est animal aptum natum ratiocinari; sed risibile est proprium hominis; ergo rationale est proprium animalis. Etsi non est proprium convertibile, tamen est proprium non convertibile, videlicet sumptum primo modo, sicut esse medicum dicitur proprium hominis et si mus dicitur proprium nasi.

Secundo arguitur quod genus non potest cadere in definitione differentiae, quia tunc ista propositio 'animal rationale est homo' esset oratio nugatoria, quoniam aequivaleret isti 'animal aptum natum ratiocinari est homo'; nam semper definitio potest poni loco definiti, ut asserit Philosophus, VII Metaphysicae.¹⁴ Nec mirum, quia definitio et definitum invicem convertuntur. Item, si genus caderet in definitione differentiae, tunc genus esset de ratione differentiae; et consequenter haec esset per se 'rationale est animal'. Quorum quodlibet est contra determinationem Philosophi, III Metaphysicae.¹⁵

Ad primum dicitur quod sensitivum bipes et quadrupes sunt propria et non sunt differentiae. Quandoque tamen ponuntur loco differentiarum propter penuriam vocabulorum. Cum enim tam proprium quam accidens, si ve fuerit proprium per se sive per accidens, necessario praesupponat compositum constitutum, differentia autem non praesupponit compositum aliquod, sed solum naturam generis se habentis ad modum materiae, con

sequens est quod differentia ipsa, quae est divisiva generis et constitutiva speciei, non sit proprium aliquo modo sumptum nec accidens separabile vel inseparabile, tamen potest habere aliquem modum proprii ac etiam accidentis inseparabilis. Et ex hoc patet quod non sequitur 'sicut risibile definitur per hominem, ita rationale definitur per animal; ergo sicut risibile est proprium hominis, ita rationale est proprium animalis', sed solum sequitur quod habet quemdam modum proprii, et maxime sumpti primo modo.

Ad secundum dicitur quod differentia potest tripliciter considerari. Primo absolute, ut fluit a genere. Et sic non est de ratione generis, nec genus est de ratione differentiae; et consequenter quaelibet istarum est per accidens 'rationale est animal', 'animal est rationale', iuxta doctrinam Aristotelis, III Metaphysicae.¹⁶ Sicut enim materia absolute sumpta non est de ratione formae neque e contra, ita genus absolute sumptum non est de intellectu differentiae neque differentia est intellectu generis, sed se habet ad genus sicut accidens inseparabile ad subiectum suum, et sicut quantitas ad materiam, iuxta illud Commentatoris in De substantia orbis;¹⁷ "dimensiones sunt coaeternae in materia". Sic ergo accipiendo differentiam non definitur per suum genus, sed per transcendens, eo modo quo accidens, ut 'rationale est ens habens rationem', sicut 'album est res habens albedinem'. Ita quod habere rationem dicat aptitudinem et non actum, ad hunc intellectum: rationale est ens aptum natum ratiocinari seu uti ratione.

Secundo potest considerari differentia ut dividit genus. Et sic differentia non est de ratione generis, sed genus est de ratione differentiae, sicut nasus est de ratione simi et perspicuum est de ratione coloris. Ut arguatur sic: ita se habet differentia ad genus sicut rectum et curvum ad lineam, aut sicut par et impar ad numerum; sed rectum et curvum definiuntur per lineam, ac etiam par et impar definiuntur per numerum; ergo modo consimili differentiae divisivae alicuius generis

definiuntur per illud, ut 'rationale est animal aptum natum uti ratione' et 'irrationale est animal aptum natum non uti ratione'. Et sic est concedendum quod haec est per se 'rationale est animal', sicut ista 'rectum est linea' aut ista 'par est numerus'.

Tertio potest considerari differentia ut est constitutiva speciei. Et sic differentia est de ratione speciei, non autem species est de ratione differentiae. Et alio modo differentia est de ratione speciei et alio modo genus est de ratione differentiae. Est enim differentia sic de ratione speciei quod est pars essentialis eius; genus autem non est pars essentialis differentiae, sed solum suae definitionis, eo modo quo nasus dicitur esse de ratione similitudinis aut numerus de ratione paritatis aut numerus de ratione paritatis. Unde, concesso quod genus sit pars differentiae acceptae in concreto sicut species est pars propria et subiectum est pars accidentis in concreto sumpti, non tamen est pars differentiae sumptae in abstracto. Ipsa autem differentia, tam in concreto quam in abstracto, est pars speciei.

Dicendum ergo ad argumentum quod non sequitur hanc esse nugatoriam 'animal rationale est homo', quia non accipitur hic 'rationale' ut dividit genus, sed ut fluit ab animali tanquam quaedam qualitas eius. Neque differentia adiective sumpta definitur per suum genus aut per transcendens, sed per adiectivum aliquod determinatum per illud quod connotat differentia, ut rationale adiective sumptum idem est quod habens rationem. Propterea haec propositio 'animal rationale est homo' non est nugatoria, quia tantum aequivalet huic 'animal habens rationem est homo', et sic ponitur definitio loco definiti. Ad Philosophum autem, III Metaphysicae,¹⁸ est responsum quod loquitur ibi de differentia ut educitur de potentia generis, non autem ut dividit genus aut constituit speciem.